



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Ferdinandus Princeps Hispan. & Ecclesiæ Card. n. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

## CLASSIS IV.

## A PRINCIPIBVS.

ET

## ARCHIDVCIBVS.

1. **A** FERDINANDO PRINCIPLE Cardinali, verè Catholico, Hispano, Austriaco, ac belli Fulmine, ex cuius voluntate agrotantium cura omnis in castris penes solam Societatem fuit, qui præclaro exemplo apothecam suam patere voluit in usum militis, & multo argento subuenit miserorum egestati, tanta sollicitudine pietatis, ut mitteret indies Emmanuelem Guzmanum eleemosynarum prefectum, qui seiscitaretur ex Patribus, satisne ad agrum militem iuandum esset aris: ac, si non esset, continuo numeraret. Valuit Principis exemplum ad imitationem. Magnatum multæ, & Tribunorum diem sibi quisque sumebant in exercitium liberalitatis. Non raro fuit, cum Patrum humeris efferrentur funera, Patrum manibus terra mandarentur. Subinde viginti amplius cadauera pariter in tumulum illata. Delectauit omnes quidem, sed vel maxime Principem, ea Societatis Charitas. Sape illam auditus magnificis commendare verbis, ac dicere, numquam sibi Patres istiusmodi vilos. Sed neque is tum morbus magnis Caputibus pepercit. Periere Dux Lermensis, Campi Magister Generalis; Grimberganus Comes, Principis Oeconomus; & dignus immortalitate Marchio Aytoua, supremus armorum Gubernator: inter ipsas Patrum manus mortui omnes. Hac prima Castra sub Ferdinando Principe fuerunt. Ita apud Imag. t. sec. Soc. lib. 6. fol. 815.

Admirabilis in agrotantium militum cura.

Et in Missione Castrensi.

AB EODEM Cuius de nobis, Missioneq; Castrensi testimonium, an preconium, iam Orbis audiuit. Quin etiam grates (quod vix dici modestia nostra sinit) grates, inquam, de præstita in Castris opera dig-

221128

uatus agere coram Nobilitate, coram Tribunis & milite, quantum Patribus tribuit honoris, tantum & stimuli ad difficultates exhauriendas, ad superanda pericula, ad mortem ipsam, si ex Regis Catholici, ex Religionis usu erit, oppetendam addidit Societatis amantiſſimus Princeps. Sic Ibid. fol. 817. Cuius in eandem Societ. beneuolentiam magna testimonia partim expressa literis ad fratrem Philippum Regem datis manifestant; quæ non ignota habent Belgæ. Ibidem fol. 888.

2. A LEOPOLDO Austriaco Archiduce, qui nostris lætus incrementis, ad Albertum Principem literas dedit, quarum aliqua pars hæc erat. Magnam animo voluptatem capio, cum ex optimis viris intelligo, tantum in dies iuuenturis, & ingeniorum delectum ad Christi signa sub huius Societatis auspicijs in Belgio vestro conuolare, vt vna Tirocinij domus tot Sacræ militiæ contubernalibus minime sufficiat. Deinde Societatem obnixè commendans, inter causas hanc quoque ponit, Quod cuique fit exploratissimum, sicubi dicta Societas toto Orbe Christiano liberam suam munia obeundi facultatem adepta est, ibidem semper Apostolicam fidem miris accessionibus amplificatam fuisse; contra vero, eos qui eandem aut occultis cuniculis subruere, aut aperto Marte suis finibus exturbare sunt conati, incomparabili rerum suarum, ac præsertim Orthodoxæ fidei dispendio, temeritatis suæ pænas luiffe. Hæc & plura Leopoldus ubi supra fol. 888.

In iuuentutis educatione.

Et fide Catholica amplificanda.

3. AB ALBERTO PRINCIPLE, cui hæc à Leopoldo scripta tantopere probabantur, vt tale ille de nobis responsum daret. Sane, inquit, certum est, Societatem illam Ecclesiæ Dei, & nostræ Religionis verè Catholicæ, non laboribus, non vitæ parcendo, prodesse quamplurimum, & eandem quaquauerſum toto terrarum Orbe propagare, & restaurare. Quapropter æquum est, vt eiusdem Societatis obsequia agnoscant omnes Principes, & populi Catholici. Nos quidem hactenus ea de causa Societatem hanc singulariter commendatam habuimus, & in posterum, quidquid ad eius tutelam, & incrementa pote-

Pro qua restauranda, nec vita, nec laboribus parcat.

Ideo ab omnibus Principibus, & Catholicis æstimanda.